

4. P. **Gulielmus Kodad** (1902-1955) erat unus e tot sodalibus Congregationis, quos magna paroecia nostra Bostoniensis de Perpetuo Succursu Provinciae Baltimorensi dedit. Finitis studiis apostolatum Redemptorianum haud communi zelo per quindecim annos in insula Puerto Rico exercuit, tum per duo triennia, iterum potius lingua hispanica Cubanorum propria, in magna nostra paroecia Tampa, Florida, qua Rector et parochus ac brevius in nostra paroecia Neo-Eboracensi S. Caeciliae. Vocatus a. 1951 Buffalum, inde cum pari zelo exiit seminare semen verbi Dei ut missionarius populi, donec a. 1952 implacabilis morbus cancri in eo deprehenderetur. Eum toleravit ultra triennium herois instar, etiamtum suum apostolatum continuans, primum inter socios suae infirmitatis in peculiari nosocomio cancri a Statu Neo-Eboracensi instituto (*Rosswell Park Memorial Hospital*); tum Buffali vixit in nosocomio S. Francisci, tandem in urbe natali inter confratres. Ibi per longas horas sedebat ante prodigiosam Imaginem marialem Basilicae. Illa 48 novendialia ab eo et pro eo facta, sanitatem quidem ei non restituere, sed eo sensu meliorationem aliquam, ut denuo praedicare posset, ultimum festo Immaculatae Conceptionis a. 1955. Octavo die post, ad meridianum sonum *Angelus*, ultimis cruciatibus vere atrocibus purificatus et ad magnum iter in aeternitatem optime paratus, terram huius exsillii reliquit, visurus Deum et Deiparam facie ad faciem.

Vide in *Twin Spires*, Ian. 1956, p. 15 ss., eius funebre eulogium; praeterea *Chronicle*, Febr. 1956.

In omnibus his quatuor confratribus sic denuo verificatum est adagium:
Nil beata morte beatius.

C. H.